

Spiritus, lux diei, & clementiam sub eodem principe sentiant omnes. Quemadmodum Sol non lucet modò, sed & fovet, vegetat, animat: sic Princeps splendore suo commodat & juvat. Nam locus à Sole illustratus splendorem; sed alienum habet: & si quid lucis, tenuis & per se obscuræ, huic seriptioni, id à solij Vestri Sole, & splendore vestro. Scio rutam multa contra sævientem pestem posse: cupio igitur & ego Ruta Saxonix muniri, contra pestem illam animorum. Scio & C. T. duplicem Ensem, alterum ad tuendum, alterum ad vindicandum: gestio igitur sub clypeo auctoritatis Vestræ tegi contra maligni livoris, & Saturnium aliquem dentem.

Interim cultum & obsequia mea submissè defero. Suspice quæso Potentissime Princeps, Elector Serenissimè, hanc prolem neglectam expositam, nimirum Laudationem Funebrem Taubmani, eiq; locum aliquem vel extremum attribue: nec ut donum aut præmium, sed animi velut obsidem cense. Spero si non laudatam, excusatam, operam: vires etiam si pro animo non fuerint; ignosci postulo: & studio potius mei cultus quàm sui pretio æstumari. Faxit D E U S, ut Sol ille tranquillitatis, qui nunc; & sic & semper appareat, ut & nos virorem & calorem ducamus diu
ab